

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Primae Lineae Doctrinae De Protestatione Cambiali

Hufeland, Gottlieb

Jenae, 1799

VD18 12256064

§. 10. a) Quoad contenta.

urn:nbn:de:gbv:45:1-8845

cambialis *contenta* requiri *primo* factorum istorum, a quibus obligatio nova jusque novum eidem respondens pendeant, mentionem; *secundo* protestationem de juri- bus istis novis conservandis nec relinquendis, verbis ex- pressam; ad *formam* autem, ut sit instrumentum publi- cum, qua scilicet proprietate efficitur, ut sine ulla tem- poris mora probationi liquidae et plenae inserviat. Patet igitur ex hac enumeratione, omnem nostrum locum pendere a generibus protestationis et instrumenti publici. His igitur rite perpensis principia de protestatione cam- biali generalia facillime intelligentur.

§. 16.

a) Quoad *contenta*.

Ex notione et indole protestationis generali *) prima haec regula fluit: Protestatio in genere, uti quaevis uni- lateralis voluntatis declaratio, nova non gignit jura, sed ea tantum, quibus jam gaudemus, conservat; sive uti di- cunt, *protestatio conservat jus protestantis.* **) Idem quo- que igitur de protestatione cambiali tanquam specie di- cendum. Nullum effectum inde deducere potes, nisi

B 3

circa

*) Hoc quoque thema recentiori indiget tractatione singulari; novissima enim, quae in *Lipenii* Bibliotheca offenditur, dissertatio (*Fried. Christ. KOCHII* binae meditationes juris naturalis, altera de protestationibus, de consensu praesumpto altera. Jenae, 1740) jus positivum minime tangit nec ergo huc pertinet, atque ipsa juris naturalis praecepta methodo scholastica et absque fructu tractat.

**) Arg. L. 4. §. 1. D. quibus modis pignus l. hypotheca, arg. L. 14. §. 8. D. de relig. et sumtib. funer — Citatur a pluribus de cambio scriptoribus circa hanc regulam L. 8. §. 6. D. de operis novi nunciat.; sed nihil omnino, quod huc pertineat, in ista invenitur.



circa jura, quae jam existunt, conservanda. Ubi ergo nullum jus, quod conserves, adest, vel ubi lex cogens, et quae voluntate privatorum mutari nequeat, obstet; nec protestationi ulla tribuenda est vis et auctoritas.

§. 11.

Obstare huic assertioni quodammodo videtur, quod secundum sententiam vulgarem jura quaedam et remedia non nisi post protestationem cambialem factam existere censentur. Quod quamquam verissimum est, nec ulli dubitationi expositum, haec tamen ipsa remedia protestatione non gignuntur, sed solummodo conservantur. Non enim negligendum est, jura illa, ad quae conservanda protestatio cambialis dirigitur, non nisi facta conditionalia esse, ipsamque illam conditionem in incerto casu et fortuito poni. Oriuntur ergo jura prius ex factis istis, et protestatione tantum conservantur; attamen ea ipsa protestatio, ut valida sit et effectus suos producat, factorum istorum mentionem atque testimonium de iisdem contineat necesse est.

§. 12.

Accedit, quod ipsi protestanti quidam sint actus suscipiendi, iidemque certo tempore peragendi. Quos nisi vel tempore praescripto vel justo ritu exsequatur, culpae suae id tribuat, culpam hanc ipse sentiat, nec jura inde pendentia, uti alias, nanciscitur. Quanquam igitur in genere a factis alienis proxime profiscantur jura per protestationem conservanda, tamen ut ista facta vim suam exferant, actiones propriae sedulo et accurate peragen-